

Executio istius processus facta est in ecclesia s. Nicolai dominica „iudica“ per me Laurentium Underfoyt plebanum ibidem.

Executio processus huius facta est Hallis, Magdeburgensis dyoc. in ecclesia b. Marie virg. per me fratrem Hermannum de Rene Westvallum, ordinis canonicorum regularium dicte ecclesie rectorem, dominica tertia post pascha, qua canitur officium „iubilate“^{b)}, quod protestor manu propria subscribendo 20. anno domini 1471.

160.

Papst Sixtus IV. zeigt der Universität seine Erhebung auf den päpstlichen Stuhl an und fordert sie auf nach vorhergegangenr Prozession eine feierliche Messe de spiritu sancto abzuhalten.

[Rom] Lateran, 1471 Aug. 25.

Hilschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 1092 fol. 338.

Sixtus episcopus servus servorum dei dilectis filiis rectori et universitati studii Lipczensis salutem et apostolicam benedictionem. Ineffabilis summi dei bonitas et providentia inscrutabilis ut genus humanum sub peccati iugo servitute vetusta detentum in libertatem vendicaret et ad beatitudinis gloriam repararet, voluit unigenitum filium suum nostre mortalitatis carnem assumere, ut per eius sacratissimam passionem ac Christi fidelium in eum sueque ecclesie vicarios pietatem et obedientiam in regna celestia conscenderetur, qui cum inter mortales regnum dei predicando versaretur, apostolos sibi elegit ut post suam gloriosissimam in celis ascensionem ecclesiam suo sanguine fundatam usque in seculum regerent ac fructu fecundiore in dies adaugerent, inter quos Petrum apostolorum principem et ecclesie sancte sue caput instituit, data ei suisque successoribus solvendi et ligandi plenaria potestate. Sed quoniam huius vite finis est cuique constitutus, voluit quod Petri dignitas, auctoritas et potestas ad ipsius in Romana ecclesia successores transfunderetur, ut usque in seculi consumationem semper existeret, qui successione huiusmodi Christiani representans caput esset ecclesie sue ac solvendi et ligandi vicariam potestatem omnimodamque obtineret. Cum igitur per hanc ab ipso Petro continuatam Romanorum pontificum successionem, felicis recordationis Paulus papa secundus predecessor noster, summus dicte ecclesie pontifex et verus Ihesu Christi vicarius in sede Petri hactenus sedens, in hac alma urbe ex mortali vita animam reddiderit, post funeris ipsius et solempniam exequiarum de consuetudine celebrationem, nos una cum venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, Rome in palatio apostolico apud ipsius Petri basilicam loco ad id ex rationabilibus causis per eosdem fratres concorditer electo modo et tempore congruis conclave pro futuri pontificis electione ingressi sumus, ubi die quarto, qui fuit nonas presentis mensis augusti, missa in honorem sancti spiritus celebrata, post diligentem consultationem, sicuti tante rei dignitas flagitabat, dicti fratres eius qui invocatus fuerat